

shum omnium ante annos mille uncialibus litteris scriptum, cujus varias lectiones ex bibliotheca Bodleiana, quæ est Oxonii in Anglia, transmisit ad nostrum Mabillonium V. Cl. Eduardus Bernardus, et ad Narbonensem ante annos nongentos exaratum, cujus varias item lectiones, ubi et alterius monasterii S. Sabini Tarbeiensis annorum sexcentorum excepit noster Claudius Stephanotius. Alios etiam quinque consului, nempe duos Parisienses S. Germani a Præis, tertium S. Cornelii Compendiæ, quartum S. Petri Conchensis, quintum B. Mariæ Lyrensis. Sub idio quoque fuerunt relati a vetustis commentatoribus sacræ Regule textus, ab Hildemaro præser-

tim et Smaragdo Floriacensis monasterii, quorum characteres ad annos minimum octingentos accedunt. Quibus præire debuit Benedicti abbatis Anianensis Concordia Regularum. Nec insuper haberi visum est antiquas editiones, Venetam anni 1489 et Parisiensem, aliasque recentiores Balduini Moreau, Hugonis Menardi, Benedicti Hæsteni, et Pauli Augustini a Janua Cassinatis monachi; quod ipsi Regulam ad plures codices mss. diligentissime correxerint: quorum tam editiones quam variantes lectiones non parum lucis et adjumenti conatibus meis attulerunt. Hæc paucis lectores præmonendos existimavi.

TESTIMONIA VETERUM

DE REGULA S. P. BENEDICTI.

Ex libro II Dialogorum S. Gregorii papæ, c. 36.

Hoc autem nolo te lateat, quod vir Dei (Benedictus) inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum Regulam discretionis præcipuam, sermone luculentam. Cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione Regulæ omnes magisterii illius actus invenire; quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quam vixit.

Ex Concilio Augustodunensi sub S. Leodegario anno 670 celebrato, can. 15.

De abbatibus vel monachis ita observare convenit, ut quidquid Canonicus Ordo, vel Regula S. Benedicti docet, et implere, et custodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitime apud abbates vel monasteria conservata, et numerus monachorum Deo propitio augebitur, et mundus omnis per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis.

Ex S. Ambrosii Autperti libro De Conflictu vitiorum in fine tom. VI operum S. Augustini novæ edit.

Juxta regulam Patrum vivere semper stude, maxime autem secundum S. confessoris Benedicti: non declines ab ea in quoquam, nec illi addas quippiam; totum enim quod sufficit habet: cujus verba atque imperia sectatores suos perducunt ad cæli palatia.

Ex Ludovici Pii imperatoris exhortatione ad Eigilem abbatem Fuldensem electum, in ejus Vita, auctore Candido, sæculo IV Bened., part. 1.

S. Benedictus Regulam monachorum Spiritu sancto repletus cum magna discretionis conscripsit.

Item ex eodem ibidem.

Regulam vero vir Dei Benedictus luculento sermone conscripsit, in qua nihil doctrinæ latentis, nihil obscuritatis comprehendit; quapropter non indiget expositione, sed admonitione. Hæc est enim angusta porta et arcta via quæ sequentes se ducit ad Deum. Hæc sane in tantum discretionem, mensuram et charitatem te docet habere, ut etiam cum charitate hortatus prævaleas ipsa vitia resecare, agere cuncta propter pusillanimes mensurate, discretionem S. Jacob cogitare, et semper in his omnibus fragilitatem tuam tibi metipsi ad memoriam revocare.

Ex Concilio Duziacensi II, celebrato anno 874.

Beatus gratia et nomine Benedictus, S. Spiritu in-

B spiratus consona sacris Scripturis et aliorum orthodoxorum Patrum prædicationibus in sua Regula dicit.

Item ex eodem Concilio.

S. Spiritus per B. Benedictum eodem spiritu quo et sacri canones editi sunt, Regulam monachorum edidit.

Ex epistola Leonis archiepiscopi Ravennatis ad Durandum monachum.

S. Benedictus ab eodem Spiritu sancto edoctus, cum se de hac luce revelante Deo sciebat esse transiturum, ad petitionem discipuli sui Mauri, hanc Regulam suis beatis manibus describens, eique tradidit, ut perfecte sciret qualiter se suosque discipulos imbueret.

Item ibidem

C Tu vero, charissime, noli sequi reprobatum (sensum), sed imitare Regulam electam ab electo divo Benedicto editam, a sancto pioque Spiritu dictatam, et a præclaro doctore pontifice summo laudatam, et a perfectis viris imitatam, quæ sectatores suos ad regnum cælorum perducit.

Ex Joanne monacho in Vita S. Odonis abbatis Cluniacensis.

Thesaurus in Regulæ observatione latentes monachis explicavit, nullumque illius apicem, prudenti inconsultum, proficiente inutilem, credenti difficilem, pœnitenti asperum esse, suo et multorum exemplo docuit.

Ex V. Benedicti abbatis Clusensis exhortatione, quæ refertur in ejus Vita cap. 4.

D Quapropter hortor fraternitatem vestram ut postpositis quibusdam superstitionibus et humanis institutis, quæ ad rem non pertinent, et a vera religione abhorrent, Regulæ S. P. N. Benedicti studiis, in qua omnis evangelica et apostolica perfectio constat, animum ad purum intendatis.

Ex Petri Damiani opusculo 13, cap. 7.

Sancta Regula quasi ampla quædam capax et speciosa domus facta est, ad omnia hominum genera capienda, pueros videlicet et senes, fortes et debiles, deliciosos et multimoda morum inæqualitate diversos.

Ex Gaufridi abbatis Vindocinensis sermone de S. Benedicto.

Fuerunt ante sanctum Benedictum abbates et abbatum institutiones, sicut ante Christum legislator exstitit Moyses: bonam quidem et sanctam Judaico populo Moyses attulit legem; sed, sicut Christus Christiano populo contulit meliorem, ita sancti viri illius temporis secundum datam sibi a Deo gratiam monachorum leges statuerunt; sed Pater et legifer noster Benedictus, sicut a Deo majorem gratiam percepit, ita meliorem legem instituit: nam quidquid illi minus vel amplius faciendum prædixerunt vel fieri permiserunt, ipse post illos correxit.

Ex S. Brunonis Signicensis episcopi lib. vi Sententiarum, cap. 2, serm. 4.

Quid dicam de B. Benedicto, qui tam egregium nobis puteum fecit (per puteum intelligit Regulam), cujus aqua saluberrima atque dulcissima omnibus sitientibus et bibere volentibus refectioni proficit et salutem; nullus post apostolos et evangelistas puteus factus est qui tot homines satiasset et a mortis periculo cunctisque animæ passionibus liberasset.

Dictum Richardi prioris Fontanensis in diœcesi Eboracensi, relatum in epistola Turstini archiepiscopi Eboracensis ad Guillelmum Cantuariensem pontificem.

Quidquid B. Benedictus instituit, ita totum Spiritus sancti providentia destinatum est, ut nihil utilius, nihil sanctius, nihil felicius excogitari posset.

Ex Guerrici abbatis sermone 4 de S. Benedicto.

Moyses ad duritiam cordis Judæorum dedit eis justificationes non bonas, præter pauca moralia; S. Benedictus solam puritatem evangelicam simplicemque morum tradidit disciplinam. Ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia, vel inutilia; iste rectissimam vitæ scribit Regulam, sermone luculentam, discretionem præcipuam.

Ex Gaufridi notarii S. Bernardi ac postea abbatis Clarevallensis homilia in evangelium Ecce nos.

Quod B. Patris nostri Regula docuit, hoc nobis lecto Evangelii commendat; nec aliud sonuit veritatis præco quam Veritas ipsa prædocuit.

Ex Odonis Cantuariensis monachi epistola ad Adam

fratrem suum novitium Igniacensem, Veterum Analect. tom. I, p. 349.

O admirabile mysterium, et admirabile sacramentum! Primum testamentum dedit Deus in cordibus hominum, quod vocatum est lex naturalis; quod si servassent, secundo non indigerent. Sed quia novitatum amatores sunt homines, per inveterationem primo testamento neglecto, secundum dedit in circumcissione, quod propter sui novitatem paulo libentius amplexati sunt quidam. Sed hoc iterum inveterato atque neglecto, tertium dedit in baptismo, quod prædestinatum est, ut stet in æternum. Sed quia longa consuetudine inveteratum cœpit ab hominibus paulatim in negligentiam duci, quartum dedit in cuculla, ad cujus novitatem amator novitatum pene totus jam confluit mundus. Post hoc quintum non erit, quia in hoc novo et mirabili modo omnium gentium benedictiones continentur. Quidquid enim religionis et sanctitatis in tribus præcedentibus testamentis continetur, totum in testamento Benedicti constringitur.

Ex S. Hildegarde in Vita S. Disibodi.

Is enim S. Pater Benedictus Regulam quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, e sanctorum Vitæ Spiritu sancto docente et ostendente condiderat.

Ex ejusdem commentario in Regulam S. P. B.

Ipse S. P. Benedictus in timore et pietate, in charitate et castitate doctrinam suam scripsit; adeo nihil eidem doctrinæ addendum vel auferendum est, quia ei nihil deest, quoniam a Spiritu sancto facta et completa est.

Ex sancti Antonini parte II, tit. 15, cap. 12, § 2.

Regula S. Basilii satis intricata est. Regula S. Augustini multum generalis et ad particularia parum descendens. Regula S. Francisci brevis, et propterea multa ibi præcepta scrupulis plena; sed Regula sanctissimi Benedicti singula quæque clare describit.

Ex Thomæ Galeti libro qui inscribitur Religiosus cap. 4.

Interrogatus Cosmus de Medicis, magnus Etruriæ dux, cur assidue Regulam S. Benedicti versaret in manibus, respondit istud se facere, quod scilicet ex tam prudentibus S. Patris præscriptionibus, ad populos suæ fidei concreditos valde accommodata media caperet. Is est qui sub eadem Regula ordinem Equitum instituit.

S. P. BENEDICTI REGULA, CUM COMMENTARIIS.

PROLOGUS.

I Ausculta ^a, o fili, præcepta magistri, et inclina aurem cordis tui: et admonitionem pii Patris libenter excipe, et efficaciter comple: ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, a quo per inobedientiæ desidiâ recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur ^b, quisquis abrenuntians propriis voluntati-

D bus ^c Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiæ ^d fortissima atque præclara arma assumis. Imprimis, ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas: ut qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat ^e aliquando de malis actibus nostris cogri-

^a Mss. antiquiores, *obsculta*.

^b Oxon., *dirigetur*.

^c Al., *voluptatibus*.

^d Deest *obedientiæ* in Oxon.

^e Al., *debet*.